

tur in iecore, vel primum spargitur in venas, quia iecoris facultas expultrix est debilis, in hernia cum sit illa facultas integra, conatur iecur expellere ad intestina, sed ob prauitatem effunditur in cavitatem quæ est inter omentum & peritoneum, ideo non relinquatur locus ibi in quem possit effundi nisi scrotum & didymus, ergo peruenit eò & fit hydrocele.

Nunc quærenda est causa causarum horum omnium, scilicet, quare ichor ille non separetur, seu postmodum non expellatur nisi ad concauitatem prædictam inter omentum & peritoneum, quia sit pessimus, seu sit magis terreus, & non aded putris, & retineatur quod terreum est in renibus, seu natura renum sit valida, & materia non terrea, & transmittatur ad coxendices, seu sit materia crassa & non lenta & vesica ardens aut lenta solum, sed valde, & tunc, vt dixi, accidat difficultas vrinæ: seu sit materia crassa lenta & vesica ardens, & fiat lapis. Et causa omnium est obstructio & clausio meatuum, atque interceptio propter coctionem impeditam. Impeditur ergo coctio ex ista aquarum varietate, quia primum aqua mista, aut miscetur ex bonis aut malis aut vtrisque. Ex bonis nulla esse potest, quoniam optimum consistit circa medium, medium non est nisi vnum ided nulla aqua talis est, & si aliqua talis esset, esset bona, nec de hac sermo est Hippocratis, aut malæ inuicem miscentur, & tunc vna non est peruia, alia nauseam mouet, alia flatu, alia fastidium parit: neque dubium est quin deteriora sint plura mala quàm vnum? Quod si mista sit ex bonis ac malis, cum bona aqua sit quæ cito descendit aluum mouet vrinas, cito hæc descendens trahet malas secum, & coctionem impedit & corrumpet iecur & viscera: ideo aqua hæc maximè noxia erit.

Et de magnis fluminibus.] Hic dubitari solet propter Nilum cuius aqua saluberrima est, cum tamen sit maximus ferme fluminum præter Indum Gangem & Macagnonum. Et in ipsum influunt etiam Astapus & Astaborus fluuij, qui à meridie orientali veniunt, vt Ptolemæus docet, (Tab. 4. Africe.) Dico breuiter quod terra illa est vniufmodi, vt etiam fluuij: & quod postmodum cum Nilo diu deferuntur: & Nilus eorum comparatione est valde magnus, ideo non possunt mutare aquas illius. Forsan quod si Hippocrates nouisset Nilum hæc non aded absque exceptione scripsisset. Nam quod non nouerit eum declarat inferius, vbi de Ægypto tractans non meminit illius. Et indicio huic sunt verba Strabonis, (lib. 1.) Verum enimvero eius nomen (scilicet Nili) ea ætate necdum cognitum fuisse credibile est: ostia vero tum obscura tum paucis nota (lib. 17.) Alibi autem sub nomine alio:

Αἰὲς εἰς Αἰγυπτίω δὴ πρῶτος ποταμῶ.

Et vt Gregorius Trifernas vertit.

Rursus ad Ægypti caelestem nauigat amnem.

Non forsan ad hoc aduertit Hippocrates. Vnde Aristoteles in primo Metheororum, (cap. vlt.) inquit, Thebæ Homero notæ fuerunt: Memphis autem non, seu quod nondum

esset, seu non tanta. Est autem Thebe versus Æthiopiam, & suprahabita ratione decursus Nili, Memphis autem iuxta mare mediterraneum, quasi dicat quod mare occupabat eam partem, vt terra paulatim detegi cœperit: non tamen dicit quod Nili fecerit mentionem. Difficultates etiam esset de Choaspe & Euleo, de quibus solis Parthorum reges bibunt, cum sint magni fluuij. Sed de his etiam infra.

Et de stagno.] Damnat nunc alia ratione stagna, non quia aquæ immobiles sint, sed quoniam ex pluribus aquis conflata sint. Noster Alemanus putat non omnino malam esse aquam, quæ in stagnis habetur: nam si in eis nascantur anguillæ frequentes, non erunt incommodæ.

LECTIO L.

Super

TEXT. XXIII. XXIV. & XXV.

ET qui aquis inuectitiis vtuntur, quæ ex longo, & non breui locorum interuallo afferuntur. Non enim fieri potest, vt alia aqua similis sit alij. Sed aliæ dulces sunt, aliæ salæ, & aluminosæ, aliæ de calidis fluunt. Vbi verò hæc simul inter se miscentur, dissident: & quæ fortissima est, semper superat. Præualet autem non semper eadem, sed aliàs alia.

Hic est tertius modus misionis artificiosus aquarum. Et non est promptum diuinare quid per aquas inuectitias ἐπακτοῦσιν intelligat: an inuectas canalibus ac fistulis, an fossis deriuatas, an nauibus aut iumentis delatas, omnes malæ sunt forsan, & quam excipies in vna, excipies, & in alia ratione atque interpretatione ἀγομένοις afferuntur, vertit Cornarius & Alemanus. Sed magis ad rem, quoniam verbum id amittit aduehantur, nam tales per terras multas transire necesse est, ideo variè affici, nam subiicit si prope id non accidere, id etiam valde absurdum est, cum de populis loquatur, quæ enim vrbs aquis, quæ procul afferantur potest sustentari? Pudeat tandem huius stultæ consuetudinis, vt grammaticam potius quam Philosophiam sciscitentur in interpretandis veterum sententiis: & in litera vel syllaba facilius lapsum posse fieri existiment quàm in ipso rerum naturæ ordine. Modus verò est, vt Romæ atque exemplum, plurimæ enim tum fossis tum canalibus inducebantur. Bartolomeus Marlianus in quarto Typographiæ, (capite decimo. Romæ nouem aquas inuectitias enumerat, quarum quædam altiores, vt Anio nouus, altissima omni, vt Alsietina humillima, ex his sex via latina excipiebantur piscinis, septimo ab vrbe lapide vbi limum deponerent, purioresque in vrbem ingrederentur: